

# PALAESTRA LATINA

## SUMMARIUM

---

Imagunculae Claretianae  
(L. Marcos)

In Atlantidos Cantus  
(J. Jiménez)

In Nativitate Domini  
(A. Lacruz)

Cursus Gymnasticus  
(M. Zubiria)

Molae Subterraneae  
(Viator)

De Ephemeride Romana «Per lo studio  
e l' uso del Latino»  
(H. Martija)

Aenigmata  
(Fr. Palata)

Epheborum Exercitationes  
Commercium Epistulare  
Per orbem  
(E. Mesa)

Bibliographia  
(J. Jiménez, M. Zubiria, A. Herrera)

Mirifica Portenta  
(L. Marcos)

# IMAGUNCULAE CLARETIANAE

## INFERNUM A TENERIS MEDITATUR

Vix Claret septem vitae compleverat annos,  
Cum somni lecto saepe recumbit inops.  
Namque parente pia de carcere doctus avernī,  
Aeterno vigilans noctibus igne pavet.  
«Ergo catenis sonentes nulla piacula vincitos  
Solvent, qui infernis saecula mille gemant?  
Quique gravi intereat noxa labefactus in una  
Incidet aeternis praeda voranda rogis?  
Quid monstri peccatum? Tantave Numinis ira?  
Pejus nil homini quam gravis ira Dei.»  
Secum Antonius haec puerili volvere mente,  
Somnos et dulces pellere noctis amat.  
Haec meditans CLARET, damnatis multa misertus,  
Donec erunt anni, corde reposa feret.  
Hinc saevas in peccatum iras, hinc animarum  
Zelum, hinc caelestes hauserat ille focos.  
Percitus his CLARET, terras peragrabit in omnes  
Lucrare exoptans plurima regna Deo.

LUDOVICUS MARCOS, C. M. F.

**Sedes Administrationis Palaestrae Latinae**

Misioneros - ZARAGOZA (España) - Av. Siglo XX, 37 - Teléf. 4004  
Pecuniae ad Administratorem mittantur

**Sedes Directionis Palaestrae Latinae**

Misioneros - ALAGÓN - Zaragoza (España) - Teléfono 14  
Epistulae, manuscripta, et quidquid ad Palaestrae Latinae  
directionem pertinebit inscribatur ad Moderatorem.

ANNUS SCHOL.—NUM. 58

MENS. NOVEMBRI ET DECEMBRI

MCMXXXIX

# PALAEESTRA LATINA

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis Insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus — Premium mittatur oportet ad Administratorem, manuscripta autem ad Moderatorem.

ADMINISTRATIO:  
Avenida Siglo XX, 37 - ZARAGOZA  
España

DIRECTIO:  
Misioneros - A L A G O N (Zaragoza)  
España

## IN ATLANTIDOS CANTUS

Cimo. et humanissimo viro JACOBO BARRERA, Realis Pulcrarum Artium Academiae Barcinonensis socio perinlustri.

Potius quam Atlantidos poëtas honorare, «Palaestrae Latinae» gloriae mihi videbis consuluisse, cum nonnulla a me rogasti verba primae et pulcerrimae Catalaunici poëmatis Latinae interpretationi praemittenda.

Nam, etsi re vera infieri nequeo in optimarum artium studiis Latinaque exercitatio ab ineunte aetate mediocriter esse versatum, tamen, duobus abhinc mensibus in armorum palaestra adhuc constitutus, nondum animus ad ea facile redit quae ad literarum palaestram pertinent.

Sed tamen, quantum in me situm est, curabo debitibus laudibus magnificare atque praeconiis eximum vatem Hyacinthum Verdaguerum, non tantum Catalaunicae terrae, sed et totius Hispaniae decus.

\* \* \*

### I. Opus laboris et numinis.

Atlantidos genitores quaeris? Labor simul et Numen fuerunt.

In Vicensi planicie vitam tranquillam et ab omni cura solutam Hyacinthus noster degebait, simplex et ingenuus adulescens, cum forte apud Nierembergium pium scriptorem legit Atlantidis casum.

Atlantis enim insula a Platone in Timaeo (1) et Critia (2) concelebrata, ultra Herculis Columnas sita, Asiam et Lybiam excedebat magnitudine. Ex ea ad antipodas erat trajectus. Sed quondam, terrae concussione ingentique aquarum alluvione oborta, Atlantico mari uno tantum die unaque nocte absorpta est (3).

Verumne sit an fictum hoc Platonis commentarium magna est inter auctores disputatio. Sunt etenim qui veram historiam illud ducant (4); sunt e contra qui fabulam omnino reputent (5); sunt et qui veritatem quandam existiment cum fictis rebus mixtam (6); sunt denique qui simplicem allegoriam judicent (7).

Sed his nostris diebus maxima pars geologorum et geographorum fidem quan-

(1) Tim. 24, e); 25, a) b) c).

(2) Crit. 112, e) ad finem operis.

(3) Plato l. c.

(4) Crator apud Proclum 21 a-d.

(5) Aristotes apud Strabonem 13. 598.

(6) Possidonius apud Strabonem 2. 102

(7) Alexandrini philosophi apud Proclum 24. b)

dam Platonis verbis dederunt, impenseque laborarunt ad hoc ut Atlantidem insulam quemadmodum definirent (8). Et quamvis oleum et operam omnino non perdiderint, adhuc sub judice lis est.

Tamen, quidquid sit de hac Platonis commentatione, hoc nobis verum est: callidum igneumque Verdaguerii numen illam recepisse, quam postea, jugi magnoque labore secundatam, edidisse hispanicis traditionibus simul et biblicis historiis ethnicisque commentis amplissime exornatam.

Auctor, studio gloriae ductus, anno MDCCCLXVIII in certamen litterarum Barcinonense, ubi prius coronam lauri jam adeptus erat, iterum descendit, parvumque poëma, «*Oriens Hispania*» indictum, primum obtulit.

Sed ut optataam contingeret metam multa ferre, sudare et algere opus erat. Nunc igitur, magna affectus tristitia, Verdaguerius ad *mapalia* redit, quin lauro coronata videret tempora. Poëma non nisi excogitatum, nondum ad unguem castigatum erat; opus enim suscepserat haud parvi ponderis, cujuscumque umeris nequaquam aptatum.

Unde non defuerunt, qui, inter ipsos poëtae amicos, ei ut incoepio desisteret, persuaderent. Nunquam vero desperavit Verdaguerius impiger, haec secum considerans: «*Labor omnia vincit improbus*».

Carmen itaque semel iterumque reprehendit, litura multa coërcuit, limae labor et mora eum non offendit, delebit, addidit, decies castigavit atque ut Horatianis placitis fideliter staret (9). nonum pressit in annum, membranis intus positis. Et re vera post annos novem, cum saxa et solitudines pcœiae voci jam recte respondebant, cumque diri tigres rabidique leones cantu frangebantur atque consistebant, iterum in medium certamen venit, atque omnium adstantium clamore, anno MDCCCLXXVII poëta princeps coronatur.

Non immerito Mistral, celeberrimus ille Provincialis vates, qui anno MDCCCLXVIII Barcinonensi certamini aderat, Verdaguerium, in cuius poëmate divitem quandam veniam jam repererat, Vergiliano more salutare ausus est: «*Tu Marcellus eris*» (10).

Est igitur Atlantis poëma opus ardui ingentique laboris et praeclari numinis.

\* \* \*

## II. Opus Hispanicum.

Hispani populi gloria in hoc poëmate mirifice splendet. Nam Atlantidis gloriam et famam, quae, juxta Platonis narrationem (11), ad suprema cacumina evecta est, Hispania non tantum adaequavit, sed etiam maxime superavit. Etenim Atlanticum mare, quod exteris navibus impervium (12) ignotumque (13) semper fuit, hispanis navibus facile et exploratum evadit audacia et virtute strenui Columbi, qui et columnas Herculis sustulit, quae ad fretum Gaditanum, Lucano teste, termini terrae sunt habitae:

«Pontus et Herculis aufertur gloria metis,  
Oceanumque negant solas admittere Gades». (14)

Itaque Hispania magna parens regnorum verum reddidit quod nosfer Seneca jam prius nuntiaverat:

(8) Cfr. D'Arbrios de Jubainville, «Les premiers habitans de l'Europe», I. p. 21-24.-Manzi, «Le livre de la Atlantide». París. 1922.-Gattefesse, «La vérité sur l'Atlantide». Lyon. 1923.-R. Dévigne, «Un continent disparu». París. 1924.-Moreux, «L'Atlantide a-t-elle existé?». París. 1924.-Olaf Rudbek, «Atlantina», Upsal. 1682, pag. 144 et sqq.-Gaffarel, «Revue de géographie». 1880, I. pag. 241-259; 331-348; 421-430; II. pag. 21-29.-Lagneau, «Revue d'anthropologie». 1880, pag. 460-468.-Berlioux, «Les Atlantes». París. 1882.-S. Gsell, «Histoire ancienne de l'Afrique du Nord». I. 1915, pag. 326-329.-«Bulletin de l'Institut Océanographique». Juin 1913.

(9) Ars Poet. 389 et 199.

(10) Aen. VI. 884.

(11) Plato in Timaeo et Critia.

(12) Timaeo 25 d.

(13) Tac. in German, 17.

(14) Lucanus III. 278-279.

«Venient annis saecula seris,  
Quibus Oceanus vincula rerum  
Laxet et ingens pateat tellus  
Tethisque novos detegat orbes  
Nec sit terris ultima Thule.» (15)

Ideoque postquam magna Columbi facinora patrata sint in Hispaniae finibus  
«aevum ad serum NON PLUS ULTRA inscribere oportebit».

Unde non inmerito Verdaguerius eximius hos dulces protulit versus:

«Hic propria Hesperiae expandit confinia tellus,  
Aequora cui pelagi quaenam, quaenam aequora terrae  
Obseruerint limites quis sciit? Sol, luminis ictu  
Qui hemisphaeria obit, totos non cernere compos». (16)

.....  
«O lira, mane tuos ne cesses promere cantus;  
illos sparge jugis et valle, ut mille cohortes  
Alituum, ignotos patriae mox pangito fastos». (17)

\* \* \*

### III. Opus mythicum

Opus vere mythicum dicerem Atlantidem poëma. In eo enim mythicae figurae et narrationes, omnia implent. Rememora tantum primos Atlantidos cantus in quibus facile invenies Geryonem, Gorgones—monstra horrenda visu—Pyrenem, Atlantes seu Titanes, sed praeceteris principem heroa Herculem, cujus labores, athla seu aerumnae celeberrimae extiterunt.

Verdaguerius in cantu primo de Geryone sermonem instituit, qui, ut fabula fert, rex fuit insulae Gadir in Hispania; alis praeditus erat triplicique consabat corpore; eum Hercules in peregrinationibus quas per occidentem universum instituerat domandis barbaris urbibusque condendis ac locis suo cultui dicandis, uno telo interfecit, ejusque armenta pulcerrima quibus abundabat, cane Orthro et Eurytione occisis, secum abduxit (18).

In cantu vero secundo mentionem facit poëta de Hesperidum malis aureis. Fabula refert mala aurea apud Atlantem montem a dracone immanni, cui nomen Ladon, Typhonis filio, et ab Hesperidibus servari; quae tamen Hercules, potiore custode occiso, eripuisse. (19)

In cantu tertio Titanum pugnam cum Hercule describit. Quis vero cum Titanes videt, arbores et atrii columnas pro armis adripientes, acrem illam pugnam non memorin, quae in Jovem ab Atlante, Titanum duce, inflata est, in cuius poenam molem caeli capite manibusque sustinere coacti sunt Titanes? (20)

In quarto cantu ad illam auctor sese refert fabulam, quae ut finis laborum, Herculis habita est; nempe ad Calpem et Aylam montes antea conjunctos, quos Hercules, iteratis clavae ictibus, divisit statuendo hac ratione terminos terrae, quin nemo posseta plus ultra progredi temptare; «sanctius enim, ait Tacitus, (21) ac reverentius de actis deorum credere quam scire». Sed Columbus apparuit, strenuus nauta Herculisque aemulus, qui non tantum audacter temptavit, sed et Herculis columnas transgressus est iterque facile aperuit omnibus pervium. Hoc enim poëta, ceteris praetermissis cantibus, in decimo cantu et conclusione mirabiliter cecinit.

Ergo re vera habes carmen mythicum in hoc poëmate luculenter expressum. Ejus praestantia omnibus nota est. Tamen, quamvis Atlantis poëma opus sit ingenii excelsi,

(15) Sen. in Medea 375-379.

(16) Atlant. in primo cantu.

(17) Atlant. in X cantu.

(18) Hygin, 80.

(19) Varro, R. R. 2. 16.

(20) Hes. Theog. 517. 746.

(21) Germania 34.

sed non omnibus numeris absolutum. Humanum opus est, ideoque nihil obstat quominus in eo plura invenias quae reprehendas; uti theogoniam non recte definitam, argumentum torta et implicata via ad finem ductum, fabularum ethnica cum biblicis historiis et hispanicis traditionibus raram complexionem, partes inter se non omnino conligatas, metaphorarum aliarunque figurarum rhetoriarum copiam cum quadam novitate et audacia, ni niam eorum de metrorum repetitionem ceteraque...

«Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis  
Offendar maculis, quas aut incuria fudit  
Aut humana parum cavit natura». (Ar. Poet. 351-553)

\* \* \*

#### IV. Opus mirifice interpretatum.

Atlantis poëma opus cum sit mythicum rectius quam vernaculis linguis latino sermone ornari debuit, uti lingua magnis rebus magis aptata. Ergo laudabili consilio P. Thomas Viñas in Latinam consuetudinem reddidit hoc eximii Verdaguerii opus, quod quidem ingenioso et ornatissimo calamo perfecit, uiپote qui cum Musis conversari assueverat. Liceat igitur de interprete pauca referre.

P. Thomas Viñas a Sto. Aloisio, praeclarissimus litterarum Latinarum cultor, Matarone apud Barcinonem natus fuerat die III m. Decem. an. MDCCCLXIV. Scholarum Piarum Congregationem ingressus, primores vitae sacerdotalis vires exercuit juventutem patrias et latinas litteras docendo in pluribus Catalauniae conlegiis. Postea Romam profectus Cartularii et Chronographi munus suscepit. Demum anno MCMXII Praepositus Generalis totius Congregationis Sch. P. renuntiatus, quo in munere per annos undecim permansit, usque dum tanto honore simul et onere abdicavit.

Illiis praeclari ingenii exstant monumenta, opera videlicet humanissimis viris magnopere laudata.

Lecciones de traducción y oraciones latinas. Mataró. 1895.

Elementa artis metricae Latinae. Florentiae. 1905. Pag. 290-4.<sup>o</sup>.

Commentarii de creatione et renuntiatione primi ex Ordine Scholarum Piarum Cardinalis Alphonsi Mariae Mistrangelo a M. Misericordiae, Archiepiscopi Florentinorum. Florentiae. 1916. Pag. 167.

Pietas et litterae. Dyptichum Calasantianum. Romae. 1921. Pag. 144.

Carminum libri quattuor. Barcinone. 1924.

Versiones latinas de poesías hispánicas. Barcelona. 1927. Pag. 335.

Summa vero operum et laborum climi. Patris Viñas est Atlantidos poëtica interpretatio.

Menéndez Pelayo, humanissimus vir, Atlantidem vocavit interpretum tormentum; tamen P. Viñas ea dexteritate ac pulcritudine suum opus fecit ut quandoque non interpretus sed auctor videatur.

Noli tamen mendis nonnullis offendit; sunt enim lacrimae rerum.

Ea certe eximus interpres vitasset si mors, ultrix humanae naturae, tanti hominis pretiosae vitae stamina non secuissest tunc praesertim cum adversaria Atlantidos poëmatis jam jam prelo subibant.

Utrumque ergo et Verdaguerium auctorem et Thomam interpretem fidelissimum dignis prosequamur laudibus.

Barcinone, Idibus Augustis anno Victoriae.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> JIMENEZ DELGADO, C. M. F

# IN NATIVITATE DOMINI

Jam tandem lacrimis, plebs, tribuas, Adae,  
Finem, sitque tibi cordis ab intimo  
Pergratum modulis dulciter hac die  
Jesum dicere cantuum.

Et vos, flebilibus tot requiem date,  
Vates o Solimae, vocibus; inclitum  
Est natum miseris, praetereuntibus,  
Saeclis, Davidicum genus.

Perfectae, Daniel quas numeraverat,  
Jam sunt hebdomadae; possidet undique  
Pax mundum: Romuli progenies habet  
Iudee regnaque subdita.

Expers Virgo domus compita Bethlehem  
Percurrit, flagitans hospitium sibi,  
Joseph et gravidae conjugis anxius  
Optatum repetit suae.

Nec felix, inopes quae capiat, domus  
Vel sede in patria, panditur; illico,  
Quod tantum recipit vix animalia,  
Non questi stabulum petunt.

Illic cuncta regens, Conditor omnium,  
Cui caeli remanent terraque subdita,  
Cunae non fruitus munere, filiis  
Est natus miseris Adael

Extemplo Pueri frigore, pro dolor!  
Summo membra tument, et lacrimabiles  
Vagitus geminat; matris et ubera  
Sugit qui volucres alit.

Tunc, tunc caelicolae blandisonantibus  
Mulserunt merito cantibus aethera;  
Unusque innumeris hymnus et Angelis,  
Grata voce canentibus:

«Caelis in superis eximum decus,  
Virtus, laudis honor, gloria sit Deo:  
Pacis summa beent gaudia terreum  
Adami pariter genus».

Dum fantur, subito lux nova fulgurat  
Extensem radiis circumiens polum.  
Custodes ovium mox timor afficit,  
Et sunt vix sibi consci.

Illos tunc aliger nuntius haud mora,  
Salvator Dominus quo stabulo jacet,  
Dulcis voce refert, gressus et interim  
Illuc tendere praecipit.

Festini Puerum visere, jam metu  
Affecti minime, protinus advolant;  
Submissaque piis dantur honoribus,  
Et Natum placidi colunt.

Adstemus pariter nos quoque spiritu:  
Praesepisque throno dulciter oscula  
Libemus, Puero dona libentibus  
Dantes cordibus hac die.

Salve, o nox tenebris quae gelidis cares  
Salve, nox iterum, sole nitentior:  
Vos, salvete, quibus dicere Filium  
Jesum magnus honor fuit!

Salve, care Puer, quem pia caelitum  
Excelsis hodie laudibus agmina  
Laeti concelebrant...! Sit tibi gloria,  
Iesu, saecla per omnia.

AURELIUS LACRUZ, A. R.

CAESARAUGUSTAE IN HISPANIA

Omnibus Palaestrae Latinae sociis faustissima  
optamus Natalicia Domini. Novus Annus ut fortuna-  
tus percurrat gaudio atque pace perfusus, Puerum,  
qui pro nobis in praesepe vagit, vehementer rogamus.

# CURSUS GYMNASTICUS

## Q. Horatii Flacci ad Augustum Caesarem

(Carm. Lib. I. 19)

*Praenotatio Historica:* Poëta in hac oda heroas praedicat, virosque aliquos claros, ut tandem ad Caesaris laudes descendant quem ceteris viris inlustribus anteponit.

*Praenotatio Metrica:* Carmen est dicolos, h. e., constat duobus versus generibus, scilicet, sapphico atque adonio. Est tetrastrophos, h. e., constat quatuor versibus, nempe, tribus sapphicis quibus additur unum adonium carmen.

Quem virum, aut heroa, lyra, vel acri  
tibia sumes celebrare Clio?  
Quem Deum? cuius recinet jocosa  
nomen imago,  
Aut in umbrosis Heliconis oris  
Aut super Pindo, gelidove in Haemo?  
Unde vocalem temere insecurae  
Orpheus silvae,

**Quem virum:** Verbum «vir» applicatur homini sanctitate atque virtute praestantibus magna que in populo pollenti auctoritate. «Homo» autem de quocumque homine, vel infimo praedicatur.—**Aut heroa:** Est accusativus graecus quod ad tertiam pertinet declinationem. Est frequentissimus apud poëtas accusativus graecus in *a*. Rarissimus tamen apud alios et fere in nominibus propriis reperitur, v. g., Agamemnona, Babylon... Sed *aëra* et *aethera* multo sunt usitatora quam *aërem* et *aetherem*, etiam extra poësim.—**Lyra...** **Tibia:** Hoc inter utrumque instrumentum adest discriminis: sonus tibiae acutior est quam lyrae. Mercurius censetur lyrae auctor. Initio septem habebat chordas, postea novem in honorem novem Musarum, ideoque novichorda appellata est, et tandem decem chordas habebat in Apollinis honorem, quam ob rem lyra decachorda vocata est. **Sumes celebrare:** In solutis locutionibus non dicitur *sumes celebrare* sed *sumes celebrandum*. Est quaedam orationis finalis variatio, eaque pulcherrima.—**Clio:** Inter novem Musas computatur. Praest historiae.—**Jocosa imago:** Echo seu soni repercussio quae velut ludens respondet. Echo est similitudo vocis redditiae.—**Heliconis:** Est mons Boeotiae, in Graecia, non procul a Parnasso, Apollini sacer, et Musis; unde Musae appellatae sunt «*Heliconides*».—**Orpheus:** Est accusativus secundae declinationis graecae. Orpheus ea peritia lyram pulsabat atque perfectione ut arbores et ferae eum insequerentur, fluminaque lapsum morarentur. (Cfr. Verg. Georg. 4).

Arte materna rapidos morantem  
fluminum lapsus, celeresque ventos  
blandum, et auritas fidibus canoris  
ducere quercus.

Quid prius dicam solitis parentis  
laudibus? qui res hominum, ac Deorum,  
qui mare, et terras, variisque mundum  
temperat horis?

Unde nihil majus generatur ipso,  
nec viget quidquam simile, aut secundum;  
proximos illi tamen occupavit  
Pallas honores,

**Arte materna:** Synecdoche, genus pro musice vel poëtice quam Orpheus a matre Calliope didicerat.—**Blandum ducere:** pro «ducere blanda voce seu blanditiis.—**Quercus auritas:** Dii ex quercu responsa potentibus dabant. Vividum epithetum atque mirabilis prosopopaea Quercus vocis suavitatem sentiebant quasi si fuissent auribus praeditae. Invenimus quoque in his versibus pulcherrimam lyrae effectuum descriptionem quae hypotyposis vocatur,—**Fidibus canoris:** Modulatione. Metonymia, causa pro effectu.—**Solitis laudibus:** quam solitas, usitatas laudes.—**Parentis:** Alii legunt «parentum». Synecdoche, genus pro specie: Juppiter.—**Horis:** Horae saepe quatuor anni tempestates significant, unde Homerus ver appellat horam veris. Synecdoche, partes pro alternis totius anni temporibus.—**Variis:** Metaphora a coloribus desumpta. **Ipsos:** h. e. Jove. Comparativum ablativo gaudet, si prior terminus est in nominativo vel acusativo. «*Nihil est, mihi crede, virtute formosius*» (Cic.) «*Quem enim auctorem locupletiorem Platone laudare possumus?*» (Cic.) Sic etiam Horatius dicit «*ipso*» pro «*quam ipse*». Ablativi usurpatio cum comparativo extra nominativum et accusativum licentia perrara est. Cum uterque comparationis terminus est idem vocabulum, reticeri solet in secundo loco, addita particula «*quam*» v. g., «*animi lineamenta sunt pulchriora quam corporis*» (Cic.); subauditur in secundo termino verbum «*lineamenta*». Si tollimus particulam «*quam*» repetendum est verbum in secundo comparationis termino v. g., animi lineamenta sunt pulchriora *lineamentis* corporis.—**Secundum... proximos:** Quaenam inter haec duo verba intercedit differentia? «*Secundum*» sensu proprio significat quod post primum *statim* sequitur. «*Proximum*» exprimit aliquod intervallum. Et sic proximus potest dici qui nec aequali, nec secundo loco est, sed quamvis remotus sit, minus tamen distat quam ceteri. Revera proximus est qui ante se non habet ullum primo propiorem. «*Proximus huic, longo sed proximus intervallo*» (Verg. 5 Aen. v. 520) Itaque eum, etsi nemo intercedebat, qui se illi anteferret, neque secundum tamen, neque tertium dixerim. Ergo, juxta Horatium, Pallas non erat Jovi par, neque statim sequebatur, propiorem autem Jovi ante se habebat neminem.—

Praeliis audax neque te silebo,  
Liber, et saevis inimica virgo  
beluis; nec te, metuende certa,  
Phoebe, sagitta.  
  
Dicam et Alcidem, puerosque Ledae,  
hunc equis, illum superare pugnis  
nobilem: quorum simul alba nautis  
stella refulsit.

**Liber:** Bacchus. Synecdoche, genus pro specie. Bacchus est vini inventor et appellatur Liber vel quia vinum magnam adfert libertatem dicendi et agendi vel quia curis animos liberat.—**Virgo:** Diana, filia Jovis et Latonae, quae venandi studio assidue in silvis vagabatur. Synecdoche-genus pro specie.—**Phoebe:** Apollo, Dianae frater, currum solis ducebat quam ob rem, Phoebus vocatus est. Sagittarum conjicendarum erat peritissimus.—**Alcidem:** Hercules, filius Jovis. Herculis avus Alceus vocabatur unde nomen Alcides accepit. Synecdoche.—**Pueros:** Castor et Pollux, germani ex matre Leda. Prior patrem habuit Tyndarum, alter vero Jovem. Castor nobilis eques, Pollux pugil praestantissimus.—**Quorum stella:** Castor et Pollux, juxta mythologiam, a Jove inter astra relati sunt, et tertium Zodiaci signum occupant. Ab astrologis «*Geminis*» dicuntur. Nautis favere, et praeesse mari putabantur, ideoque videntur sub figura stellarum duarum quae, aliquando navigantibus apparentes, serenitatem portendere creduntur.

M. ZUBIRIA, C. M. F.

SEQUETUR.

# MOLAE SUBTERRANEAE

PROBUS. Ignavum esse non est meum. Christianus sum; Romanus sum, inscius sum minime, quae officia mihi imponantur his nominibus venerandis. Si quare mens mea confundatur, eum ipsum in animo video genua mea amplectentem, orantem, ut vitae suae parcatur, a me suo ipsius patre petentem, ut sibi parcam... (*animo forti ac prompto.*) Ast abiciatur, et excludatur imbecillitas atque debilitas animi! Artem dolosam aliquot nefariorum minime licet contremescere. Orationem habebo; auscultabitur, condignusne sim meo nomine; simulacra deum falsorum in perpetuum contrita procident in pulverem ad pedes Redemptoris... Silete sensus... patris..! Mihi competit gloria efficiendi, ut regnum Redemptoris mei terrestre ad triumphum perducatur, tibi, mi Deus, cura Caecilii servandi. (*aulaeum premitur.*)

## ACTUS QUARTUS

*Pistrinum subterraneum. Auditur sonus molarum versarum. In extrema scaenae parte ordo servorum saccis farinariis onustorum, quos Ascanius pistrinis praefectus impellit flagellis. Primus servus sura flagellis vulnerata ululat: Au! Au!*

Ascanius secundum servum flagellans: Quam pigrum asinum!  
» tertium » » Velocius, cocleal!»  
» quartum » excitans: Surge canis!»  
» quintum » flagellans: O bos obese!»  
» sextum » » Quam tarde reptas vermis!

*Abeunt. Soni pistrinorum quiescunt.)*

## SCAENA PRIMA

NARSES (Solus) (*prodit solus*)

Lassitudine defetiscor... vires me defi-

ciunt! Tandem aliquando copia frumenti molendi decrevit primum... Quam miserandam hanc vitam subterraneam! Strepitum quinquaginta molarum aures exsudantem, horribilem flagellarum stridorem, crepitum catenarum, clamores et ululatus servorum miserabilium... hic includi sine spe lucis solis unquam conspicienda, nunquam delectari mira rerum natura, nunquam haurire aera montium nostrorum purum... Cum essem in Probi aedibus instar filii, dilectus... O tempora prospera! Effugistis..! Vae, Numida! (*mora*) At sum homo Christianus! Deus maiores meos novit et remunerabitur me in patria, quam nemo unquam mihi poterit eripere. Age, Narses miselle! sustine cum patientia! calamitates mox finientur.

## SCAENA SECUNDA

METRANUS, ASCANIUS, NARSES

METRANUS. Te recipe serve, serve! (*Narses ad dextram abit. Metranus ad Ascanium*). Deest ergo frumentum?

ASCANIUS. Ex paucis momentis, domine; sed mox exonerabitur navis, quae tribus ante horis advenit ex Aegypto.

METRANUS. Omniane pistrina agitabantur?

ASCANIUS. Nonnulla cessabant servis deficientibus; hoc mense mortui sunt quadraginta.

METRANUS. Nulosne capitis damnatos misit praetor?

ASCANIUS. Aegre quindecim, domine.

METRANUS. Quot laborum impotes?

ASCANIUS. Septem graviter aegroti praeterea nonnulli sunt admodum senes.

METRANUS. Bene; en medicamen! (*tradit ei capsulam.*) Quam medicinam vino admixtam eis praebabis, jam curati erunt in

	perpetuum. Indigni essent pane, quo vescuntur.	METRANUS.	Arcesse eum!
ASCANIUS.	Prospice igitur, ut nanciscaris servos novos!	ASCANIUS.	( <i>it ad scaenae parietes partis dextrae</i> ). Tacite, Tacite!
METRANUS.	Providendum erit. Num januae cauponarum vinariarum caducae disponuntur optime?	NARSES.	(ingrediens) Domine!
ASCANIUS.	Paulo ante oblini jussi spiras resilientes.	METRANUS.	Adducetur huc puer quidam.
METRANUS.	Age! Has ipsa nocte nonnulli citharoedae symphoniae cantus edent in conclavi cauponaee interiore. Romae aderunt multi alienigenae, qui choreis sonantibus ad prothyra juxta atrium alterum confluent et, cum januae caducae sub eorum pedibus corruerint, in has cavernas decident subterraneas. Manda custodibus, ne consilium ad irritum redigatur!		Cave ne ei manifestes, ubi sit; duc eum in illam camerarum partem quae hominibus est vacua ( <i>dextra manu monstrat ad laevam</i> ) neve ex ea unquam egredi eum siveris! Si unum verbum ei addideris, enecaberis virgis; num me comprehendisti? Tu ( <i>ad custodem</i> ) firmioris praesidii causa hos clatros praecludes. ( <i>dextra manu monstrat clatros partis dextrae</i> ).
ASCANIUS.	Noli dubitare, quin hac ipsa vespera nancturus sis insignem numerum servorum, qui ne sestertio quidem tibi constabunt. Nihilne aliud mihi mandabis?	ASCANIUS.	Sed supra nos cauponam viariam esse memento et hac nocte...
METRANUS.	In extremo palatii mei conclavi juxta introitum celiarum subterranearum invenies puerum, quem ducas huc. Ast attende, ne quis te animadverat. Num quem habes, cui puerum tradas?	METRANUS	Hinc effugere poterit nemo et si quis tibi mala ( <i>ad Narsem</i> ) minatus erit, implorabis auxilium.
ASCANIUS.	Illum servum quem intrans vidisti. Qui est viribus Herculeis et jam laboraverat in pistrino, antequam illum emisti. Quem, cum nomen ejus sit ignotum, propter taciturnitatem continuam nominant Tacitum. Qui unus e servis non lamentatur sed laborat neque eum virgis caedi opus est; sed tamen ei non parcitur.	NARSES.	(secum loquitur). Quanta scelera! Quis erit ille puer?
		METRANUS.	( <i>ad Ascanium</i> ). Servum quemdam, cui est nomen Numida, cum venerit, adduces huc. Nunc arcesse puerum!
		ASCANIUS.	Propero; noli, ( <i>quaeso</i> ) oblivisci te petitum esse a Saturnio!
		METRANUS.	Fac ut huc descendat! ( <i>Ascanius abit</i> ). Tacite! ( <i>dat ei signum se ad laevam recipiendi</i> .) Hodie fuit senatus. Probum pro nostra causa orationem habuisse spero. Novum inveniemus argumentum, ut ardorem et aestum oratorum incitaremus. Ha, ha, hæ!.. ha, ha, hæ!.. ( <i>manum manu terit. Saturnius comitatus ab Ascanio, intrat. Ascanius illico abit</i> .)
		METRANUS.	Quid est Saturni?

A. EREM. VIATOR, S. V. D.

Sequetur.

# De Ephemeride Romana “Per lo studio e l’uso del Latino”

Egregius vir Carolus Galazzi Paluzzi, Instituti Studiorum Romanorum Praeses, una cum cl. Prof. Guido Rispoli novam ephemeridem edidit cui titulus *Per lo studio e l’uso del latino*, cuius hoc ipso anno duo jam fasciculi prodiere.

Ut ad lectores nostros, praestantissimi commentarii notitia perveniat, de ejus origine et finibus pauca dicam.

Institutum Studiorum Romanorum, cuius est Antiquitatis Romanae cognitionem et Latinae linguae cultum, promovere, eamque universalem reddere, ad hunc scopum adtingendum, praeter plurima opera in lucem edita, ab anno 1932 magnopere laborat:

1.<sup>o</sup> In confiendo duplex dictionarium pro scholis mediis et universitariis; opus quidem magnae molis, quod perpensis inlustrium conlaboratorum nominibus, Forceillium, Thesaurum aliquosque superabit.

2.<sup>o</sup> In lexicis vocabulorum et phraseologiae scientiarum hodiernarum, ut sermo Latinus internationalis lingua sapientium deveniat. Ex his lexicis plus quam triginta a peritis in unaquaque scientia parantur.

3.<sup>o</sup> Mediantibus concursibus nationalibus et internationalibus sermonem Latinum divulgare, materiis scientificis Latine exaratis, itemque Latine compendiatis rebus quae in Actis Officialibus, Congressibus et foliis periodicis praestantioribus aguntur, quo arcitor stabiiliatur contactus inter Latinitatis cultoribus nationalibus et exteris.

Institutum Studiorum Romanorum quattuor edit ephemerides ab Instituti Praeside moderatas, quarum sunt tituli: «*Roma*» seu commentarium de vita studiorumque romanorum; «*Bulletino sistematico di Bibliographia Romana*»; «*Rassegna d’ Informazione del’ Instituto*»; «*Per lo studio e l’ uso del Latino*». Haec ultima ephemeris tribus constat sectionibus:

1.<sup>a</sup> *Lo studio e l’ uso del Latino nel mondo*, in qua publicantur studia seu communicationes conlaboratorum exterorum.

2.<sup>a</sup> *Pro Latina lingua divulganda*, in qua relationes adfert Coetum seu Commentariorum, quae ad Latinam linguam promovendam in unaquaque natione sunt instituta.

3.<sup>a</sup> *Il latino nelle scuela media*, seu responsiones ad quaestionarium a redactore duce Professore G. Rispoli propositum de statu scholarum in Lycaeis et Universitatibus.

Laudata ephemeris conlaboratores habet in Europa et America praestantissimos Latinitatis Professores et Latinorum commentariorum moderatores, quorum nomina et labores in primo fasciculo videre licet. Praetermittere nolo socium et fratrem dilectissimum Josephum Jiménez, qui de litteris Latimis in Hispania aptissime disseruit.

Praesidem Instituti Studiorum Romanorum plaudimus, illumque et conlaboratores omnes hortamus ut metam optatam contingant, monumentumque Latino sermoni erigant, «quod non imber edax aut aquilo impotens possit diruere.»

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

Barbastri V Id. Nov. An. Vict.

# AENIGMATA

1. *Fructus sum vitis, natus mulcere palatum.  
Sedem defuncto frons variata dabit.*
2. *Malleolo fabri cusum, sum tenui metallum:  
nunc phaleris, nummis nunc dabo materiam.  
Verte meum nomen! Spirat quodcumque per orbem  
et se sponte movet, omne notare quo.*
3. *Me nentes Parcae, lector, nent et tibi fatum.  
Injice rho! Vilis te torus excipiet.*
4. *Corripe! vocalem. Sum Mater Magna deorum.  
Produc! Te peperi, Romule, teque, Reme.*

PROF. FR. PALATA, MORAVUS.

## Solutiones aenigmatum numeri 57

- |                         |                           |
|-------------------------|---------------------------|
| 1. Signum, tignum.      | 10. Sin, Ister, sinister. |
| 2. Cilia, Sicilia.      | 11. Ephialtes.            |
| 3. Barba, Jarba.        | 12. Licia, cilia.         |
| 4. Deiphobus, Deiphobe. | 13. Mergus, merges.       |
| 5. Ave! Cave!           | 14. Nannus, mancus.       |
| 6. Canis.               | 15. Fluctus, luctus.      |
| 7. Bilis, Bilbilis.     | 16. Area, ardea.          |
| 8. Pilus.               | 17. Aries, caries.        |
| 9. Elissa, melissa.     | 18. Phaselus.             |

### Quisnam dissolvit?

R. P. Johannes Emmanuel Hernández, Sch. P., dissolvit aenigmata: 2, 3, 5, 6, 7, 8, 9, 12, 13, 15, 18. Ei gratulamur-Lectores sociique omnes Palaestrae Latinae, exemplum sequimini.

# EPHEBORUM EXERCITATIONES

## Xerae Equitum Postulantes sodalibus Italicae Provinciae S. P. D.

Nulla profecto verba quibus vos de gaudio quo litterae vestrae nostros affecerunt animos certiores faciamus. Siquidem, uti eas legendo dicto clarius perspicitur, major vix ea quam fratres excipiunt suos ad invicem sensus aperientes, cernitur laetitia.

Has vobis ex animi sententia mittimus litteras, cordibus gaudentibus, cum de comitate quam nobis nuper probare studiuitis, tum de recenti apud nostrates, Dei Matrisque ope, comparata pace. Laetemur, igitur; magis magisque laetemur nec vero nos in caelum modo Regem Pacificum voces extollamus laudaturi, sed summi Hispaniarum Ducis, Francisci Franco, clarissimum jam nomen, universum per orbem diu noctuque cumulemus honore. Haud, fraterculi, dubium quin multis de causis alma exultet Hispania. Gaudeamus et nos tantae matris fortissimi alumni; gaudete quoque et vos Italorum mira progenies apud Hispanos in arena bellica strenue decertantium, universique, quam maxime, jubilemus B. Virginis Cordis filii pro perennibus a martyrum Claretiano exercitu obtentis trophyis; quos inter indefessos Christi praecones fulget aeternumque fulgebit, quem plurimi Seguntini Postulantes novimus coluimusque parentem atque eo valde familiariter usi sumus, Rdus. Pater Josephus Maria Ruiz, in hac quam colimus, civitate Xerae Equitum optimis natus auspicis. Cum jam, proh dolor! dirae persecutionis venti, velut agmine facto, ut verbis utamur Poëtae, inruerent per omnes Hispaniae ambitus, et agnosceret Pastor suum periclitari gregem, sentiretque ipse jam jam moriturum, omnes sub horam vesperam congregat oves, ut Magister Christus Apostolos in cena novissima, eisque ad B. M. Virginis aras, lacrimis per genas cadentibus, quam ferventissime extremum adloquitur. Quae coram Jesu dulcissimo humiliter provolutus protulit verba, perpetuo memoria tenebimus. «Supremum,

inquit, mihi advenit tempus»; tum in sacerdoto luctus gemitusque audires.

Percussus fuit Pastor dispersaeque oves: pro Hispaniae salute martyr ad Superos evolavit, dum huc et illuc cara ejus suboles humum incerto signabat pede.

Salvete, fratres, omnibusque diebus ad B. Virginem pro nobis precamini ut quicumque in tanta orbis palaestra congressi sumus luctaturi missionarii, ne victas demus manus in pugna at victores iterum iterumque redeamus.

Faxit Deus. Faxit et Deipara Virgo. Vobis obsequentissimi in C. opt. Matris.

## Philosophus et nauta.

Philosophus quidam cuidam nautae, navem concendentis, sic locutus est: «amice, valde temerarius es tu. Si prudens esses navem nunquam concenderes, pater enim tuus in mari vitam amisit; avus atque tuus proavus eamdem subierunt sortem, et forte tu quoque in aqua finem invenies.» Tum nauta: «pater tuus-ait-ubi mortuus est?» In lecto-Et maiores tui ubi mortui sunt? Omnes in lecto.

Ergo valde temerarius es tu qui te lecto committis.

Barbastri

VINCENTIUS SANZ, C. M. P.

## Oportet aliquando cedere (1)

Hippolytus, peritissimus equorum dormitor, albo equo Bucephalo, quo solebat, vectus, nundinas petebat nigrum Idrophobum venditurus quem habenis ferebat. Quartam jam horam per inmensam planitiem currebant et Idrophobus, etsi invitus, toleranter dominum secutus erat; atque ita optimum iter viatores nostri fecissent, nisi ipsorum oculis flumen adparuissest. Praesepta via conspecta, Hippolytus ad dexteram et laevam se vertit, pontem nequaquam vidit.

Quid agit? Retrorsum ibit? Fieri nequit! Negotium urget. Pontem quaeret? Heu,

(1) Cfr. Pal. Lat. mense Aprili an. 1936 pag. 151

quantum detrimentum! Et pontem deinde reperiet? Hippolytus tamen animum non perdidit:» equos non pavidos cognosco, -ait-transibo «et equis:» agite! agite!... eja per medium flumen!... age!... Idrophobe, age!...» Sed Idrophobus aquam valde timebat et torvis oculis dominum intuebatur, aquam exhorrescens. Tum Hippolytus iratus calcaria in equi latera defixit, qui dolorosum aculeum sentiens furiose in flumen currebat. Alter vero repugnavit, quin etiam in adversam partem procurrit.

Hippolytum infelicissimum! Magnum periculum non cogitabat, nomine suo sig-

nificatum! Hippolytus enim nomen hominem ab equis, ut Mettus, dilaniatum indicat.

Equi in adversam partem fugientes, Hippolytum, eorum impetu ex equo dejec- tum, eos moderari conantem, inter caelum et terram suspenderunt, quem dilaniasset nisi habens dimisisset. Tum vero quod dixerat miserri nus equorum domitor, fecit.

«Eja per medium flumen» dixerat et in flumen miserandum visu! decidit Hippolytus noster.

Ciampini (in Italia).

HANNIBAL DEL MANZO, C. M. P.

## COMMERCIUM EPISTULARE

Amplissimo Viro Moderatori Ephemeridis cui «Palaestra Latina» Inscriptio, multam dicit salutem Prof. Johannes Baptista Bellissima.

S. V. B. E. E. Q. V.—Libenter, vir amplissime, tuam «Palaestram Latinam» legi; propterea que, si tibi, o bone, placet, scriptiunculam quandam meam ad te mittendam curavi, ut, si grave non est, edendum cures quam primum. Quod si benignius eam exceperis pergratum scito mihi fecisse, atque patere me exorare ut aliquot ad me mittas scriptiunculae exemplaria, sodalibus, si quando, donanda. Si vero scriptiuncula mea forte minime placuerit tibi, mihi, sodes, summa cum celeritate remittendam curabis.

Valeas, amplissime vir, et bona usque utare fortuna!

Pysis (in Italia) - Postr. Kal. Oct. an. MCMXXXIX.

Macarius López de Zubiria, C. M. F. clarissimo Professori Johanni Baptista Bellissimae S. P. D.

Scriptiunculam tuam «De María Domí- nica Mazzarella nuperime in beatorum numero adscripta» nostro commentario a te missam accepi atque legi. Quam pri- mum Palaestrae Latinae inseretur ipsam- que lectoribus fore gratissimam spero. Quare, igitur, humanissime, non benigne, immo, et benignissime eam accipiam? Grato animo exemplaria, quae petis, tibi mittenda curabo cum tua edetur scriptiuncula. De missis atque mittendis composi- tionibus grates tibi persolvo. Nonne seque- tur tuarum series scriptiuncularum? Per- venerunt quoque in Palaestrae Latinae redactionem duo opera quae sponte mittere dignatus es. In hoc commentarii fasciculo tuae fabellae cui nomen «Liviola» leges recensionem. In sequenti numero adparebit alterius operis recensio.

Vale. Tibi obsequentissimus.

Alabonae-VII Idus Novembres.

## RESPONSORIUM

Lucronii. I. E. H.—In civitate, quam tu incolis, nullus, praeter tuum conle- gium, existit subnotator. Nonne tu, Litterarum cultor, nos de aliquo novo sub- notatore certiores cito facies? Mitte compositiones, quascumque voles, quas, tempore opportuno, Palaestrae Latinae inseramus. Visne exemplaria ad commen- tarii propagationem?

Fundati (in Lusitania) I. De P. E. — Selecta Latina, quae adipetis, ad te mittere nequimus, ipsis namque caremus. Maxime dolemus, benevole lector.

# PER ORBEM

## DE LITTERIS LATINIS APUD COLUMBIANOS

Ineunte saeculo XIX viri nostri inlustriores non minorem in hispanis quam in Latini litteris laudem sibi comparaverunt. Inter omnes *Michaël A. Caro*, Quinti Horatii Flacci atque idem Mantuani cultor studiosissimus, Latino carmine apud nostrates facile habetur princeps.

Jam inde ab adulescentia in vertendos Latinos poetas ad Hispanum, Hispanos americanosque ad Latinum sermonem indefessus adjecerat animum; neque ab incoepio opere unquam destitit. Duodecim libros Aencidos, adhuc puer singulari diligentia reddidit adeo ut concinna fidelitate parem fere haberet neminem: jam jam vita decessurus translationi elegiae illus suavissimae «*A las ruinas de Itálica*» manum extremam admovet.

*Caro*, cui linguarum abdita patebant, Grammaticam Latinam prelo commitere instituit, qua juvenes impensius atque uberius litteris Latinis vacarent. Sed in ea exaranda *Ruphinum Cuervo*, quocum suavissima intercedebat necessitudo, socium habere voluit.

*Ruphinus Joseph Cuervo* fuit cerie vir omni disciplina omnique virtute ac humanitate inlustris, cuius laus apud philologiae cultores emori non potest.

Ils enim cum opus illud «*Diccionario de Construcción y Régimen de la Lengua Española*» scripsisset dignus habitus est qui a Menéndez Pelayo americanorum Hispanorumque saeculi transacti philologus existimaretur vel maximus.<sup>(1)</sup> Et jure quidem nam et verborum radices et usus et regularum exceptiones apud scriptores cujusque saeculi classicos ab ipsis linguae primordiis incredibili quadam eruditiois copia perquirebat. Neque hoc satis, in libro qui «*Apuntaciones Críticas*» inscribitur, vilia linguam deturpantia profligat, synonyma tradit seleciora spuriis praeponenda; ejusque gratia contigit ut non pauci nec ignobiles scriptores, qui tunc temporis in Columbia floruerunt, perspicuitate ac puro dicendi genere commendarentur. Flebilis omnibus, Lutetiae Parissorum supremum diem obiit an. MCMXI, duabus annis postquam *Caro*, qui non litteris tantum sed legibus etiam ferendis immo reipublicae moderandae se totum tradiderat, in pace, bonus miles Xti. et quidem strenuissimus, obdormierat.

Franciscum Urrutia, Patrem Valdés O. F. M., Leopoldum Alvarez, Marium Valenzuela et Theodulum Vargas, S. J.<sup>(2)</sup> commemorarem qui in Columbia degentes carmina et versiones condiderunt Latina.

Nemo est qui nesciat, quanta venustate, quo ingenio, quam suaviter ac jucunde fidibus utatur *Daniel Restrepo* e S. J. vir doctissimus, cuius carmina, in «*PALAEASTRA LATINA*» publici juris facta, magna cum animi prosequimur voluptate. In theca mea servo, eamque ut opinor, usque in hunc diem ineditam, pulcrum et accuratam distichorum conficiendi formulam quausu pracepta, sententiae orationibus inlustrantur.

Cogitur haud parili ut gressu procedere claudus,  
Imparia ostentant disticha crura duo.  
Imparilemque viam duplex pars currat oportet:  
Altera bis senos, altera quinque gradus.

Poësim Latinam non minori coluerat laude *Carolus Currea*, S. J. qui quondam Missionibus ad Magnum flumen Magdalenam praefuerat.

(1) José J. Ortega T. Salesiano, Historia de la Literatura Colombiana. (2.ª ed. Bogotá, 1935. página 400).

(2) Cfr. Horizontes, Bucaramanga (Columbia). Item «Escritos Escogidos del P. Mario Valenzuela». Bogotá, 1930. pág. 215.

Clarus ille *Joseph C. Andrade* qui munere fungitur Decani Facultatis Literarum, de Vergilio poëta, Marco Tullio oratore ac Homero libros tres eosque pulcherrimos ac eruditissime plenos edidit Bogotae. Nuperrime quoque *Julianus Motta Salas*, nostra memoria, Romani Hispanique sermonis professor apud eandem Pontificiam Aedem, orationem habuit de Amore apud poëtas Latinos placidis verborum luminibus illustratam ac suavissimam illam *Cervantesii* comprehensionem mirum in modum redolentem.

Denique *Héctor H. Hernández* Cl. Pbr. Grammaticam Latinam minime sphenendam composuit plurimis classicorum exemplis locupletem, novam quidem ac peregrinam in re metrica notis musicis tradenda. *Cyrus Molina Garcés* «De Re Metrica». *Josephus Monsalve* GRAMMATICAB LATINAB Compendium, *Ludovicus Fórero*, suavis poëta, librum cui titulus «Alma Latina» opellas valde commendandas scripsere. Neque virum praeteribo doctrina praestantem qui cum Rei publicae olim Academiae Columbianae nunc tenet imperium. «Fuit haec sapientia quondam...», sapientissimum quemque ad supremum reipublicae gubernium accedere. *Michaël Abadía Méndez*, immortalis vir memoriae, opus arie perpolitum de Prosodia Latina consecut. Hic orationem, socius Academiae renuntiatus, habuit luculentam de miro linguae Latinae in Hispanicam linguam influxu<sup>(1)</sup>.

*R. Pombo*, summo hominem ingenio ac disciplina silentio praetermittam, de quo, recurrente ejus nativitatis centenaria die, in his paginis quidquam breviter attigi<sup>(2)</sup>.

*Gregorius Arcila Robledo*, O. F. M. fasciculum quemdam «Traducciones de Horacio» Bogotae in lucem an. 1935, nisi memoria fallor, proferebat. Quandam auctor de Latina pronuntiatione praemittit tractationem.

*Franciscus Vergara Barros*, litterarum Magister, nequaquam magistrum se praebuit in Carminum Horatianorum translatione; opus enim nec absolutum nec satis castigatum reliquit. E contra *Ismaël Arciniegas*, sese principem exhibuit in Venusini operibus vertendis. De eo ait cl. ille *Aurelius Espinosa Polit*, vix apparere artificis operositatem. Ita ad numeros currunt translationes callidamque juncturam in iisdem invenies!<sup>(3)</sup>

Bis millesimi jam transacti anni ab Horatii nativitate occasione data *Marianus a Campo Larraondo* aliquas odas Horatianas interpretandas suscepit, epistula praemissa de recta interpretandi ratione; sed quae praecepitis tradiderat, ipse non est arte adsecutus.

Aliquas etiam his postremis diebus legi versiones, sollemnibus Horatianis recurrentibus conscriptas ab *Alexandro Araos Fraser*, cl. Professore.

Non sistam, quin aperte planeque profitear in Columbia humaniores litteras et vigere et florere saecularium ac religiosorum labore et industria. *Rupertus Jaramillo Arango*, Pbr. carmina horatiana edit translata, suaque ipse fingit Latine. Patres, quos Eudistas vocamus, certamina proponunt Hebraicae Graecae ac Latinae linguae omnibus fere fasciculis commentarii «Los Sagrados Corazones» ad quae videlicet plures juvenes descendere certatim satagunt. Demum Pater Ildephonsus Navia e Congregatione Missionis nuperrime librum conscripsit de recta linguae Latinae pronuntiatione eadem vestigia premens quae *Emmanuel Jovaeus*, C. M. F. clarissimus ac desideratissimus PALAESTRÆ LATINAЕ, Fundator ac Moderator, certo pede signaverat.

CAROLUS E. MESA, C. M. F.

Albani ad Roman, Nonis Sept.

(1) *Ortega*. Opus cit. pág. 679.

(2) Cfr. Val. Lat. Núm. 29.

(3) A. Espinosa Polít. Una nueva traducción de Horacio. Quito. Edit. Ecuatoriana. 1936.

# BIBLIOGRAPHIA

**A. M. NAVIA**, «La pronunciación clásica del Latín», Escuelas Gráficas Salesianas. Bogotá 1939. (pag. XVI-208)

Plura de recta linguae Latinae pronunciatione edita sunt opera apud germanos, italos, anglos et gallos; apud nos vero hujusmodi opera maxime desiderabantur.

In grammaticis scholaribus auctores non nisi perfunctorie hanc rem attingebant; fusius de hac re Emmanuel Jové in hac ipsa Palaestra disseruit; opus vero absolutum nunc primum cl. Alphonsus M. Navia lingua Hispanica nobis praebet. In eo, quicumque pristinam linguae Latinae pronunciationem dignosci negant, eam rationum copia auctorumque testimoniis confirmatam invenient.

Postea forsitan, data occasione, amplam hujus libri expositionem adferam, praesertim de iis quae de *m* finali, de synalæpha syllabarumque quantitate tradit auctor. Interim ambabus manibus laudemus egregium scriptorem, Columbiae decus hispanaeque subolis, qui, in hac de linguae Latinae pronunciatione turbulentiissima tempestate, fulgura splendentia signaque pacis nobis sapientissime oblitus.

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

**P. FONT PUIG**, «De la Vejez y de la Amistad - Bosch - Editor - Barcelona - Ronda de la Universidad.

Laudandi quidem sunt scriptores, qui Litterarum studiosi, Classicos Latinos difundere, maximo omnium plausu, nituntur. Quocirca Petro Font Puig, Philosophiae atque Litterarum in Universitate Barcinonensi, claro Professori, imo corde gratulamur eique nostro nomine Hispana juventus. Omnibus Litterarum cultoribus Hispanicam offert versionem de Ciceronis Dialogis qui inscribuntur «*De Senectute et de Amicitia*». In proemio agit eruditus Professor a) de vita Ciceronis ejusque philosophico charactere, b) de tempore quo Cato Major et Laelius scripti sunt, c) de Dialogorum indole, d) de materia in ipsis Dialogis agitata, e) de textibus quibus usus est ad ipsorum versionem et f) de dotibus quae in versione eluent. Deinde disserit de variationibus quae in Editionibus Teubneriana, scilicet, Oxoniensi, Loebniana atque Guillaume Budé inveniuntur. In libro «*De senectute*» Editioni

Teubneriana, atque in libro «*De Amicitia*» Editioni Guillaume Budé primatum dat. Sequitur postea duorum Dialogorum versio Hispanica. Atque denique opus scriptor perficit quibusdam adnotationibus ad utrumque Dialogum seu notis quae materiam nitidiorem faciunt.

M. ZUBIRIA, C. M. F.

**J. B. BELLISSIMA**. Liviola. Senis - Ex Bernardiniana Off. Typographica, 1934.

Johannes Baptista Bellissima multis jam pridem editis operibus aliud nunc mole quidem parvum, rebus tamen narratis atque Latino elegantissimo sermone insigne prodit opus. Liviola fabella, quam vocat auctor, ejusmodi tempestates in mentem revocat quibus Christifideles martyres in arenam prosiliire aut, ubi martyrio vires non suppeterent, sese in hypogeis opportunius in tempus abdere cogebantur. Rem Christianam totum prorsus Romanæ rei publicae pervasisse campum cum sanctorum Ecclesiae Patrum testimonio constat tum scriptorum qui ab Augusto populi Romani historiam protulerunt. «*Insuper - ait Bellisima - illud mirandum quod non modo qui in tenui re vitam degebant, sed etiam et qui honesto loco nati erant et qui in re publica versabantur, Christianorum haeteriis interdum aderant, et in sepulcrales cuniculos, seu hypogea, ut sacra ante solem ortum facerent, se conferebant. Quid? in ipsam principis domum novus rerum ordo sensim irrepebat.*»

Quare tantae esset vicissitudinis causa quaerentibus non aliam sane quam ipsius voluptatis vitaeque luxuriosae fastidium atque aversionem adsignare possumus, ut in Decebalo, principe, ceterisque fabellam conserentibus auctor nititur explicare. Fieri certe non potest ut scriptoribus ejus modi exarantibus opera non plaudant quotquot Latinitatem simul et Christianam diligunt religionem. Nostra praesertim memoria illa exoptantur atque desiderantur opera quae, dum adulescentibus utilia tradunt dulci permixta, eos bonum diligere pravumque fugere docent.


ANDREAS HERRERA, C. M. F.



in Latinum transla-  
ta a R. P. Ludovico  
**M A R C O S**  
**C. M. F.**  
Villae Rosarii in  
Argentina litt. Lat.  
Professore


### XXI

Titus, fido comitatus cane,  
truditur in cubiculum, per  
hebdomadam retinendus, do-  
nec Hispanum litus adpule-  
rit navicula; interea Titus ani-  
mo versat inopinatos et  
miros eventus.




### XXII

Sed multos labores opro-  
tebat terra marique adiri  
priusquam in patriam regre-  
deretur. Est in conspectu be-  
llica navis Gallica, quae ocior  
Euro subito erumpit subae-  
quoream naviculam venatum.



### XXIII

Phaselus in imum pelagum  
descendit illico, fugiens inse-  
quentem navin: et ambiguas  
oceani vias per sex dies obe-  
rrans, dissitis advenit oris,  
quibus Titum comitemque ca-  
nem nautae Germani aupu-  
lerunt, victui necessaria pree-  
bentes.



(Sequetur).

# **CONLECTIONES PALAESTRAE LATINAЕ**

Pro subnotatoribus atque lectoribus qui  
integram **PALAESTRAE LATINAЕ CONLECTIONEM**  
habere cupiant ab anno 1930 usque ad  
annum 1936, paucorum exemplarium, e  
marxistarum manibus ereptorum, pretium  
est **50 pesetarum.**



Petitiones ad PALAESTRAE LATINAЕ  
Administratorem  
Misioneros - Zaragoza (España) - Avenida Siglo XX, 37



A mense Octobri anni 1936 usque ad  
mensem Jan. 1939, causis ab omnibus  
optime cognitis, PALAESTRA LATINA  
edita non fuit.

OCTAVIO Y FÉLEZ-ZARAGOZA